Bulla Papieża Franciszka ustanawiająca bpa dra Jacka Jezierskiego Biskupem Elbląskim

Studia Elbląskie 15, 5

2014

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

MUZEUM HISTORII POLSKI

Bulla papieża Franciszka ustanawiająca bpa dra Jacka Jezierskiego Biskupem Elbląskim



FRANCISCUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri Hyacintho Jezierski, hactenus Episcopo titulo Liberaliensi et Auxiliari archidioecesis Varmiensis, constituto Episcopo Elbingensi, salutem et Apostolicam Benedictionem. – Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata – Ap 21,19 – in mentem nostram revocant Apostolorum fidem et missionem, quam eorum successores prosequi per saecula solent, ipso Domino praecipiente suaque gratia iuvante. Cum quidem nunc Elbingensis Cathedralis Ecclesia, post renuntiationem Venerabilis Fratris Ioannis Styrna Praesule suo sit orbata, ad illum gregem regendum tu aptus Nobis videris, qui humanis sacerdotalibusque virtutibus es ornatus et in episcopali ministerio exercendo iam satis peritus, expletis viginti annis actuosae et frugiferae navitatis Episcopi Auxiliaris in archidioecesi Varmiensi. Te ergo Elbingensem futurum speramus diligentem Pastorem, qui clerum et fideles laicos in caritate per Evangelii semitas prudenter conducere valeas. Quamobrem, audita sententia Congregationis pro Episcopis, Apostolica Nostra potestate dioecesis Elbingensis Episcopum te constituimus, iuribus et obligationibus additis idem ad officium secundum ius canonicum spectantibus, vinculo superioris titularis Sedis et memorato munere Auxiliaris solutis. Curabis quidem ut clerus et populus dioecesis tuae in cognitionem harum Litterarum Nostrarum veniant, quos omnes enixe cohortamur ut laeto animo te accipiant oboedienterque in via salutis sequantur. Insuper te, Venerabilis Frater, totamque iuvenem dioecesim Elbingensem committimus intercessioni Dei Genetricis Beatissimae Mariae Virginis Reginae Poloniae, cuius ad Claromontanum sanctuarium singulis annis pedibus, birotis vel autoraedis turmatim devote peregrinantes fidenter maternum eius invocant praesidium ut a Divino Filio gratiarum copiam eis exposcat. Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Maii, anno Domini bismillesimo decimo quarto, Pontificatus Nostri secundo.

Franciscus Bruno, Scr. Ap.